

COMMENTATIONES

SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM

GOTTINGENSIS

RECENTIORES.

VOLUMEN V.

AD. A. MDCCCXIX — XXII.



CUM FIGURISS.

GOTTINGAE

APUD HENRICUM DIETERICH.

MDCCCXXIII.

IO. FRID. BLUMENBACHII

DE

QUORUNDAM ANIMANTH COLONIIS
SIVE SPONTE MIGRATIS
SIVE CASU AUT STUDIO AB HOMINIBUS
ALIORSUM TRANSLATIS

COMMENTATIO

RECITATA

D. XVIII. MART. MDCCXX.

Intritus.

IMMANUEL KANT magni ingenii vir primus quantum noui differentiam clarius exposuit et strenue vrsit, quae veram *historiam* naturalem proprie sic dictam, et meram contra descriptionem rerum naturalium intercedit. Illam physiogeniam sequaces eius vocarunt, hanc physiographiam. Neque in his defuerunt qui dignitatem utriusque studii comparantes, dum istius graue momentum efferebant, hanc contra, quasi minoris aestumandam, tantum non vilipenderent. Verum vix iniquius iudicium proferre potuissent. Quam fructuofissima enim sit, imo vero indies noua augmenta capiente naturalis historiae immenso ambitu, pari passu magis necessaria euadat accurata et definita terminologiae technicae verbis concepta descriptio rerum cuiusvis ordinis naturalium ad characteres distinctiuos construendos et res naturales ad memoriae subsidium systematice ordinandas, si adhuc probatione egeret, vel ex ipsa *historia* naturalis *historiae* eluceceret.

Quando enim veterum in vtraque lingua de historia naturali auctorum classicorum non vnice mirabundos laudatores, verum et aequos censores agere velimus, fateri oportet fructum ex iis ad ipsum nostrum studium eam maxime ob causam haud parum minui, quod neglecta ab ipsis describente rerum quas memorant physiographia, saepissime dubios et ancipites hodiernos interpretes linquant in definiendis et explicandis naturalibus de quibus ipsis ambiguus sermo fuerat rebus ³⁾.

Negligentia haec in classicis ceteroquin naturalis historiae conditoribus, et si nobis dolenda, excusabilis tamen videbitur, causas eius varias ex aequo ponderanti.

Et maxime quidem arctos totius disciplinae quamlibet ipsis excolare licebat fines, comparando eos cum immenso quo nunc late patet ambitu. Quodsi enim verum est ut est verissimum naturalis historiae augmenta pari cum *geographica* orbis terrarum notitia increcere, sufficit vel obiter tantum comparasse tabulam geographicam orbis sic dicti veteris, quatenus nempe Graecis et Romanis proprius cognitus erat, cum recentiori orbis terrauei ab eo inde tempore quo iussu et auspiciis Diui nostri GEORGII III. post rariora et mercatorios magis in fines suscepit aliarum cultioris Europae gentium tantamina, toties iteratis peripls quintam terrae partem detectam et limites habitabilis nobis definitas habemus. Exoticorum ergo notitia quam tenuis esse debuerit veterum de naturali historia scriptoribus notitia, maxime cum modos animalium exuuias conseruandi ignorantem, adeoque museis rerum naturalium carerent, in aprico est.

³⁾ "Vt iam *Plato* testatus est, veteres cum plurimas rerum ignorarent, alias omnino non nominauerunt, alias non recte. Non est igitur quod nomina eorum nobis imponant, sed inspicienda nobis est ipsa rerum historia etc." *GALENUS de symptomatum differentiis.* c. 3. p. 24. ed. *Conr. Gesneri.*

Verum et in inquilihis praeterquam quod microscopiorum usu, adeoque mundi quem inuisibilem *Linnaeus* appellat cognitione destituti fuerint, in vniuersum de animalium exsanguium studio parum solliciti erant, ita ut in vniuersum numerus rerum naturalium ipsis propriis cognitarum mirum quantum ab eo distet, quo hodiernum sistema naturae et Faunae ut vocantur Floraque superbiant, quales nunc ex quinis terrauei orbis partibus comparare licet.

Facile ergo patet veteres illos in tam arctis studii sui naturalis limitibus systematica ea characterum descriptione carere potuisse, quae contra hac aetate adeo absolute necessaria euadit, ut absque eius adminiculo vniuersa ea disciplina in rudem plane indigestamque molem corrueret.

Ceterum tantum abest ut meram hanc de qua agimus physiographiam pro genuina rerum naturalium historia habere liceat, ut sane mirationem subeat, viros caeteroquin de promouendo naturalis historiae studio impense meritos eo delapsos esse, ut illud eius adminiculum, technicam nempe nomenclaturam ad species constitutas easque systematically in genera sua ordinandas, pro praecipuo, imo vero unico fine historiae naturalis venditarent, e quorum numero *Petrum Artedi*, *Linnaei* popularem et sodalem nominasse sufficiat, qui quidem, quod magis adhuc mirandum, singulare hoc paradoxon in fronte istius partis operis sui nude professus est, quam philosophiam ichthyologicam vocare ipsi placuit, cum potius genuina et vere philosophica *Historia* naturalis, quod ipsum historiae nomen inuoluit, praeter alia quae ad naturam rerum in orbe terraueo creatarum attinent, maxime et mutationum et conuersionum causas et modos inuestigandos sibi sumit, quibus ad hodiernum statum peruererunt *); praefertim vero quid homo, terrae

*) Hinc et geologico respectu Societas Regia in annum 1821 quæsitionem proposuerat grauissimi argumenti, de inuestigandis iis so-

dominus ad eas mutationes contulerit; siquidem, pridem monente summo *Buffonio*, status quo hodie naturam ante oculos habemus, tantumdem homini quam ipsi naturae debetur ^{*)}).

Cumque, de quo iam *Kantius* quem modo laudaui conquestus est, ipsum hoc mutationum studium, quanquam grauissimum et diligent contemplatione dignissimum, minus tamen hactenus excultum sit, operae pretium videtur singularem eius particulam, *de animantium inquam coloniis, siue sponte migratis, siue casu aut studio ab hominibus aliorum translati*, post ea quae ab aliis super hoc argumento commemorata sunt ^{**)}) ex professo adhuc, exemplis praesertim nondum perulgatis illustrandi.

Vix vero monitu opus est in hac disquisitione nullatenus agi de migrationibus normalibus quibus variae animalium species, non nullorum scil. mammalium, multarum avium et piscium et non nullorum amphibiorum quotannis statuto tempore aliquamdiu domicilium mutant, verum maxime de *insolita* migratione quorundam animalium, quae nativas habitationes sponte et subito linquunt et nouas petunt; tumque et de aliis eorum *coloniis*, siue *casu* siue hominum *studio* aliorum transpositis, quae quidem ex ordine senarum systematis Linnaeani classium prosequi liceat.

A. Mam-

lidae superficie orbis terrauei mutationibus, quae documentis ex ipsa *historia petitis* demonstrari possint. Inter scripta ad eam endandam suo tempore sodalitio nostro oblata, ex vnanimi eius consensu palmam tulisse egregium opus, nunc typis mandatum Perill. DE HOFF, iam in praefatione huius voluminis diximus.

^{*)} Aut ut iam CICERO ait: "nostris manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur," *de natura deorum.* II. 60. p. 247. ed. *Davisi.*

^{**) Ex quorum numero praesertim populares nostri nominandi sunt viri cl. PALLAS, ZIMMERMANN, RUDOLPHI, LINK, AL. DE HUMBOLDT et G. R. REVIRANUS.}

A. Mammalia.

Evidem ex his nonnullas species, postquam vnum alterumue earum par curiositatis causa insulis quibusdam illatum fuerat, postmodum cum progenies neglecta euaserat, magno incolarum damno propagatas esse, ex vtroque orbe exempla docuerunt, quorum vnum alterumque memorasse sufficiat.

Contigit evidem hoc haud ita pridem in vicinia Lithuaniae urbis Nieswietz, vbi tria paria *Marmotae Citilli* curiositatis gratia ex Volhynia istuc translata ingenti numero propagata sunt ^{*)}; tum in Danica insula Fünen, vbi praedii possessor ex itinere in Pomeraniam redux *Mustelas* aliquot *foinas* cicures retulerat ^{**)}; et in Bahamica Prudentiae insula cum simili occasione *Vrsi lotoris* vnum alterumue par ad eam adiectum erat ^{***)}.

Neque dispar ratio videtur originis *Simiarum syluanorum* (*f. inuorum*) quae magno numero vnice in Calpes promontorio ^{*)} praeterea autem neque in alia Hispaniae parte, neque in reliqua Europae austrianae regione libere hospitantur. Quod enim post alias adhuc a Boswello assertum est, Corsicam quondam simiis abundasse, vnice erroneae Christ. Personae versioni Procopiani de bello Gothicoperis tribuendum est, cum eo loco neutiquam de simiis sed de nanis pumilionibus sermo sit ^{**)}). Calpetanos contra de quibus agimus cynocephalos quomodo e vicina isti promontorio Abyla

^{*)} Curatam huius casus notitiam debeo cl. JAROCKI, Zoologiae in Vniuersitate Varsoviensi Professori celeb.

^{**) Ex relatione cl. Doct. BREDSSTORFF Dani, de historiae naturalis studio egregie meriti.}

^{***)} SCHÖPFII Reisen vol. II. pag. 456.

^{*)} DRINKWATER's History of the late Siege of Gibraltar. pag. 36. ed. 3. Lond. 1786.

^{**) J. W. BERGER eclogarium Corsicum, Spec. II. pag. 36 sq.}

Classis Phys. Tom. V.

quam huiusmodi simiae magna copia inhabitant ^{*)} ortum suum duxerint facile intelligitur, et si de tempore quo primum in rupa Gibraltarense visi sint, nihil constet.

De primigenio et patrio *Ratti vulgaris domestici* habitaculo diuersimodi disputatum est. Mirum videtur, paradoxam *Linnaei* opinionem qui eum ex Indiis occidentalibus in Europam aduectum fuisse putarat, vel ipsi *Pallasio* ideo non improbabilem visam esse, quod apud antiquos, licet musculi frequens mentio, nulla occurrat Ratti. Et si enim nullus veterum siue Graecorum siue Romanorum Rattum memoret, medii tamen aeni scriptores, iisque de historia naturali perbene meriti, diu ante orbem nouum detectum, de Ratto nostrate agunt, in quibus egregius *SILVESTER GIRALDUS* a. 1188. expresse *mures maiores* nominat, qui vulgariter Rati dicuntur ^{**)}). Probabile vero videtur hunc Rattum primitus Europam medium incoluisse, donec occasione commerciorum et praesertim nauigacionum per vniuersum qua Europaeis patet orbem adeo propagatus est, ut quondam inter prodigia relatum sit nonnullos Germanicae vrbes eo plane caruisse ^{***)}).

Specie ab hoc ratto diuersus *Mus decumanus* Persiae vt videtur, et vicini orientis indigena, vix ante alterum tertiumue se-

^{*)} *Voyages d'Afrique du Sr. DE RAZILLY* pag. 144.

TH. JAMES's *History of the Herculean straits.* vol. II. p. 357 sq.

^{**) v. EJ. *Itinerarium Cambriae* I. II. c. 2. pag. 173. ed. Londin. 1585. 8.}

^{***)} cfr. v. c. de Glücksburgo et Augusta Vindelicorum G. CHR. von NEITZSCHITZ *siebenjährige Weltbeschauung* pag. 3. ed. Norimb. 1674. de Schleusinga vero K. E. A. DE HOFF et C. W. JACOBS Thüringer Wald T. II. P. 2. pag. 299. *Scotiae caurinae (the Highlands)* a. demum 1723. ex Anglica mercium naui rattos aduenisse grauis testis est BURT in *Letters from the North of Scotland* vol. I. pag. 67.

culi praeteriti decennium Europam inuasisse fertur *), et ubi agmina eorum confedere, domesticum contra ratum sensim defecisse constat. *Norwegianum* plures nuperorum zoologorum vocant, quam vero appellationem *Zimmermannus* ideo improbat quod faunae Scandinauiae nullam eius mentionem faciant. At enim vero hoc fane idoneis testibus euictum est, ipsissimum hunc Rattum decumanum ante a. 1730 Anglis plane ignotum, tum temporis primum, et quidem quod expresse afferunt ex *Norwegia* nauibus onerariis quae lignorum materiam inde aduehebant, illatum esse **). Cumque tum temporis in vniuersa Germania boreali nullibi adhuc visus fuerat inficetum corruit asseclarum petitoris quondam regni Angliae figmentum, quo illum murem ex Hannoueranis terris in Britanniam translatum esse fabulabantur ***). Eodem forte animo et partium studio quo Anglo-Americanis infestam sibi *Tipulam destructorum* muscam Hassiacam (*the Hessian Fly*) vocare amabant, et si quantum quidem nouimus hucusque ne vnicum quidem eius viuum specimen in Europa visum sit.

*) G. L. HARTMANN in *MEISNERI naturwissenschaftlichen Anzeiger*. a. III. 1819. n. 1. contendit quidem, iam *Conr. Gesnerum* huius ratti sub nomine muris aquatici (*Wassermaus*) meminisse, imo et icode et si rudi, eum exhibuisse, quae neutiquam ea muris amphibii sit, vtpote quam *grosse Nüllmaus* vocet.

At enim vero, quod pace cl. viri monuisse liceat, certo certius Tigurini polyhistoris mus aquaticus idem est cum mure amphibio nuperorum, et quem vernaculo nomine *Nüllmaus* designat, *M. siluaticus*.

Conferant quorum interest, super amphibio ex operibus Gesneri *historiam aquatilium* pag. 695. ed. 1558. *Fischbuch* pag. 199 b. et *Thierbuch* pag. 109 b. de *siluatico* autem *EJ. historiam quadrupedum* pag. 830. et 1104. ed. 1551.

**) ROB. SMITH's *Rat-catcher* pag. 5. ed. Lond. 1768.

***) ESPRIELLA's (SOUTHEY's) *Letters from England* Vol. I. pag. 285. ed. 3.

Taceo, vt iam monui, ab aliis iam exposita exempla transpositionis animalium quadrupedum tum domesticorum tum etiam venaticorum (vt damae, tarandi, alces ^{*)}), aequo ac eorum quae casu fortuito custodibus subducti in locis desertis efferata sunt (vt arminta in noua Cambria australi, caprae in insula Juan Fernandez, et equi in Paraquariae immensis silvis). De canibus vero *Americae* hoc saltem addere liceat, et si extra dubitationis aleam positum sit, fuisse novo orbi ante primum Hispanorum in eum aduentum, varia canini generis animalia domestica, non minus certum tamen esse, nonnullas et quidem remotissimas a se in vicem *Americae* zonas canes suos ab Europaeis accepisse. Docent hoc de iis qui ad oras Magellanici freti oberrant *ANT. DE CORDOVA* ^{**)}, de *Antillicis* magni nominis vir *WALT. RALEGH* ^{***)}; et de hodieque notissimis egregiis *Terra*e nouae canibus idem valere ex classico *RICH. WHITBOURNE* opusculo alias iam docui ^{*)}.

B. A u e s.

Volatilia, quo facilius longe lateque vagantur, tanto numerosiora praebent exempla specierum, praesertim graniuorum, quae frumenti culturam in coloniis hominum recentur constitutis sponte sequuntur easque inde siue perenniter siue saltem missis tempore frequentant ^{**)}).

^{*)} cfr. *DE WILDUNGEN Taschenbuch* a. 1805 seq.

^{**) Relacion del ultimo viage at Estrecho de Magallanes.} pag. 307.

cf. etiam *Sr. JOHN NARBOROUGH's voyage to the Streights of Magellan.* pag. 53 et 66.

^{***) EJ. Historie of the world} vol. I. pag. 95.

^{*) Abbildungen n. h. Gegenst.} P. I. ad t. 6. *De Labradoricis contra v. G. CARTWRIGHT's Journal* vol. I. pag. 267. et *L. AM. ANSPACH's History of Newfoundland.* pag. 325.

^{**) Videbis, vt paucos e multis saltem ex America aquilonali excitem testes, CATESBY in *philos. Transact.* N. 483. pag. 443 seq. et *MICHAUX voyage à l'Ouest des monts Alleghany.* pag. 259.}

Similem ob caussam etiam aues quae piscibus vescuntur hisce illecebris allertas ad littora vbi antea plane incognitae fuerant magnis cohortibus emigrasse, nuper memorabili exemplo ex ipsis quibus res agebatur documentis, mihi innotuit. In insula nempe Danica Laland, quarum accolis praesertim piscatus quaestuosus est, primo vere a. 1810 unicum par *Pelecanorum carbonum*, nondum hactenus illibi visorum, ex Fünia ut putabatur, aduena, postquam bis eo anno posuerant et excluserant, autumno nouum hocce domicilium reliquerunt quidem quibus vero proxime insequentibus annis tanta copia nefastarum harum avium secuta est ut a. 1815 numerus earum ad 20000 ascenderet, ex quibus vero ne unum quidem par sibi ipsi nidum exstruxit, verum omnes aliarum avium in silua istius insulae nidulantium, ardearum praesertim et coruorum nidos occuparunt, tanto pescatorum damno, donec mercede conducta virorum copia arbores istas ascenderet et nidos istos destrueret, quo facto nocui iusti coloni ad unum fere omnes emigrarunt et eas oras ultro intactas liquerunt.

Arium sylvestrium quae non paruo sumptu et studio in remotas regiones translatae et ut se propagarent libertati redditae sunt memorabile exemplum dedit Petrus M. cuius iussu a. 1716 magna vis auicularum canorarum circa Moscouiam capta et in viciniam nouae Petropolitanae vrbis et quidem optato succusse perlata est ^{*)}).

Et de Carolo V. perhibetur eum cum prae aliis avibus corvis et cornicibus delectaretur, quibus vero ea Hispaniae regio carebat in qua senioribus annis vixit, ex Flandria quae iis abundabat, coloniam earum in hortos suos Aranjuezenses transponere iussisse, quarum progeniem ibidem ex voto cessisse fertur ^{**)}.

^{*)} WEBERI verändertes Russland vol. I. pag. 146.

^{**) Mémoires de l'Abbé DE MONTGOM vol III. pag. 150.}

Magis contra mirum videtur vulgatissimo passeri domestico innumerabili copia per vniuersum septentrionalem orbem diffuso, tamen singulares aliquas paruas regiones et si satis paucitas tamen adeo esse infestas ut nulli eorum ibi reperiantur, et quod non semel tentatum est, magno numero aliunde illuc translati et dimisi nunquam ibi subsisterent sed breui iterum aufugerent; id quod de non uno Saxoniae et Nassouiae pago afferitur ^o).

C. Ampibia.

Idemque quod modo de passere memorauimus de *Lacerta* quoque *lacustri* a testibus fide dignis relatum accepimus, quae quidem ex vicinis fibi binis lacubus, qui pisibus carent et quoad reliqua etiam fibi simillimi sunt, alter tantum istis salamandris aquaticis abundat, quae vero quod saepius tentatum est, in alterum translatae, breui post littora eius ascendunt et in alterius natales fibi aquas remigrant ^{oo}).

Verum et Salamandram terrestrem passim in vna eademque regione non nisi quibusdam in locis, arctis satis limitibus circumscriptis degere posse, vel in vicinia nostra videmus, cui quidem natalis soli necessariae conditioni respondere videtur euentus experimenti, quo ante aliquot annos ex Isenacensibus filuis in Jenenses magna copia translatae breui post ad vnam omnes perierunt.

Contra vero *Ranam bombinam* a viro multis nominibus bene merito, *Petro Oxe* aulae Hafnienis quondam Mareschallo sec. XVII^{mo} ex Lotharingia in Dianam translatam et propagatam esse ita con-

^o) v. c. de Meusebach, ducatus Altenburgicu et Wallenfels prope Herbornam.

^{oo}) DRÜMPPELMANN *Abbildungen und Beschreibung des Thierreichs aus den nördlichen Provinzen Russlands*, P. IV. pag. 15.

ftat *) vt et hodie adhuc vernaculum nomen Peder Oxes Fröe ferat.

Et Hiberniam in vniuersum ranis caruisse donec a. 1699 ex Anglia istuc transportatae fuerint, historiae istius regni auctores referunt **).

D. P i s c e s.

Marinorum piscium eadem quodammodo ac volatilium, quam diximus, ratio est, vt nempe ex corporis fribrica et elementi in quo degunt natura facilius loca quae incoluerant linquere et in noua etiam si valde remota emigrare possint. Hinc v. c. *halecum* cateruae ad oras maritimas quas antea vtilissimus hic piscis nunquam frequentauerat, iam quotannis statuto tempore aduenae, de quibus Blankeneses aliquique Albis ostii accolae sibi gratulan-
tur. Contra vero vt alia piscium marinorum genera ita imprimis haleces eas oceani regiones in quibus hactenus per longissima tem-
pora degerant, subito et magno pescaturae damno plane dereliquisse
constat, quod clupeae isti passim post proelia naualia in vicinia
earum commissa contigisse dictum est et pulueris pyri fragori tri-
bui solet; quod quidem noui nuper ab egregiis auctoribus in du-
biu[m] vocari ***). Quanquam vero varias alias subesse ha-
rum migrationum caussas facile dederim, cum v. c. PETRUS DE DUS-

*) JACOBAEI *obseruationes de ranis et lacertis.* pag. 33.

PONTOPIDANI *Nachrichten die Naturhistorie in Dänemark be-
treffend* pag. 193.

**) O'HALLORAN's *Introduction to the study of the History of Ireland.*
pag. 74.

JAM. GORDON's *History of Ireland* vol. I. pag. 11.

***) cfr. CATTEAU - CALLEVILLE *Tableau de la mer Baltique* T. I.
pag. 215. et de nonis contra hæengorum coloniis varia memorabi-
lia pag. 233 seq.

BURG ordinis Teutonici sacerdos memoret ^{*)} harengos suo tempore a. 1213 Prussiae oris subductos fuisse, adeoque acuo quo de pulveris pyrii vnu ibi loci ne cogitare quidem licet, attamen istos pisces quoque insolito et antea inaudito huiusmodi tonitus fragore fugari posse, certe non minus probabile videtur, quam quod clupeae quae Kamtschatcae littora frequentarant ab a. inde 1730 vbi vicina aequora terrae motibus quassabantur ea deseruerunt ^{**)}. Verum et oculatus mihi testis est grauissimus, Gener. DE POLLET in Suecico exercitu praefectus superior excubiarum, auditor quondam meus dilectissimus et obseruator curatissimus qui in bello maritimo quod a. 1790 sq. Suecos inter et Russos gestum est, praelio nauali in sinu Fennico d. 9. et 10 Jul. posterioris anni interfuerat et qui ipse agros in vicinae Finniae oris possedebat, quique clupeas quibus ea sinus Finnici littora antea abundarant, statim post illud proelium ea deseruisse et versus Bothniam occidentalem migrasse mihi afferuit.

Ita et quod *fortuitam* piscium transportationem attinet, ea quae Baskiri J. G. GMELINO de *Cyprino carassio* retulerunt ^{***}), oua eius foecundata primo vere ab anatibus migratoriis nunc in itinere reducibus ex uno lacu subinde in alterum transferri, id mihi non semel a doctis oeconomis lucii pisces exemplo comprobatum est, cuius progeniem repetitis vicibus in talibus piseinis suis renasci et si inquitissimi viderunt, vbi de nulla alia eius origine cogitare licebat. Et ad similem forte caussam pisces ortus in lacubus quos montium alta cacumina ferunt, referendus videtur ^{*)}.

De

^{*)} In *Synchronismo ad chronicon Prussiae ab a. 1226. usque ad a. 1326.* pag. 375.

^{**) STELLER's *Beschreibung* pag. 175.}

^{***) *Florae Sibiricae* vol. I. praefat. pag. xxx.}

^{*) De Scoticis caurinis v. BURT l. c. vol. II. pag. 80.}

De piscium vero coloniis hominum *studio* aliorum translatis post ea quae iam ab aliis dicta sunt *), vix quae addere operaे pretium videatur, adhuc habeo.

E. Infecta.

Quodsi infectorum classem tanquam minoris quidem moduli animalium sed numero specierum et innumeris plerarumque individuis immensum naturae regnum considerare licet maioribus istis utriusque ordinis organicorum corporum regnis ita quasi interfutum et interstratum, ut sedem et victimum in his habeant, facile intelligitur quomodo horum animaleculorum coloniae cum iis maiorum animalium aliorum transpositis, praesertim vero populorum intercursu, navigationibus, commerciis, bellicis expeditionibus etc. in remotas terrae partes propagari potuerint. Ita enim et ipsos pulices, quos omnibus quae vestibus utuntur gentibus communes putasse, tamen non nisi per hospites Europaeos Tahitenibus et Sandwichenibus insulanis **) haud ita pridem allatos esse, memoratur. Et de huius quidem infecti genuina specie non est quod dubites. Aliter vero cum blattis huc illucue casu translatis comparatum est utpote de quarum siue certa specie siue nativo unde aliorum propagati sunt, solo ambigui passim haesitamus.

*) cfr. v. c. praeter BLOCHII et C. DE LA CEPEDA opera ichthyologica, de *Acipenser rutheno* PALLAS in *Beschäftig. der Berlin. naturforsch. Freunde*, vol. II. pag. 532. et de *Carpione* J. BECKMANNI quondam nostri *Beytr. zur Gesch. der Erfind.* vol. III. pag. 412. alias v. in coniunctissimi mihi J. D. REUSS ditissimo *Repertorio* T. VI. qui *oeconomiam* complectitur pag. 413. et multifaria super hoc capite naturalis piscium *historiae* proprie sic dictae, apud DE WITT CLINTON in *EJ. Introductory Discourse, delivered before the Society of New - York*, vol. I. actorum istius Societatis pag. 148. et al.

**) v. WILSON's *Missionary voyage* pag. 342. et ADELB. VON CHAMISSO in OTT. VON KOTZEBUE *Entdeckungs-Reise* vol. III. pag. 145.

Nam et de *Blattae orientalis* dictae, hodienum per Europam vulgatissimae, primitua patria incerti sumus. Quod enim LINNAEO auctore primitus in America habitet et in oriente tantum hospitetur, certis testibus confirmatum nondum vidi. Primus qui in Europa eam obseruauit, saltem nobis exhibuit, FAB. COLUMNA est ^{*)}; nam quod nuper legi, iam MATTHIOLUM eam memorasse ^{**)} neque ex descriptione nec ex synonymis quae subiungit probabile videtur. Satis multas tamen Germaniae prouincias et in his Gottingensem principatum ea calamitate immunes esse gratulari ipsis licet; quibusdam vero locis ut in Hercynia occidentali mercium oneribus illatas quidem sed tempestiuo remediorum usu mature iterum extinctas comperimus. Quomodo vero bellicis expeditionibus propagatae sint, tricennali bello Saxonia misnica exemplo est, vt pote cui Bauarico exercitu primo aduenerant ^{***)}.

Alia eiusdem generis species Indica, quam cur LINNAEUS *germanicam* vocet, diuinare non ausim simili occasione, militum nempe exterorum transitu a. 1812 sq. Borussiae quibusdam locis illatam accepimus ^{*)} et quidem passim v. c. Heilsbergae et vicinis in locis tam ingenti copia ut multi incolarum aut aedes, aut saltem quae habitabant cubicula tam diu derelinquere coacti fuerint, donec proxima hiems eos ab hospitibus calamitosis sed frigoris impatientibus feliciter liberauit. Quod vero supra de *Rattis domesticis* memorauimus, *decumanorum* inuasione extirpatis, id etiam de *Blattis orientalibus* relatum accepimus eas sic dictae *germanicae* aduentu disparuisse ^{**)}.

^{*)} *Obseruat. aliquot animalium* pag. XL. et XXXVI. cf. et MOUFEKI *theatrum* pag. 138.

^{**) Comment. in Dioscoridem} pag. 277. ed. CASP. BAUHINI 1598.

^{***)} v. LEHMANNI *Schauplatz der natürlichen Merkwürdigk. in dem Meissnischen Ober-Ertzgebirge* pag. 634.

^{*)} Ex litteris amicissimi HAGEN sen., Prof. Regiomontani meritissimi.

^{**) v. LABILLARDIERE} *Relation du voyage à la Recherche de la Perouse*. T. I. p. 378.

Blatta quam FABRICIUS *australasiae* nominat, iam seculo XVII^{mo} Hafniam ^{*)}, *americana* vero ante 30 circ. annos Ieueram ^{**)} vtrage sacchari cistis aduecta est.

Ex aliis infectorum generibus haud ita pridem aliunde casu in Europam et praesertim Germaniam inuestis iamque in ea itidem inquiline sequentes nonnullas species tantum nominasse sufficiat:

Cimicem linearem ^{***)}
Aphidem lanigeram ^{*)}
Coccum aonidum ^{**)}
 et *Phalaenam sarcitellam* ^{***)}.

F. Vermes.

Quae ex hac denique classe eo de quo agimus respectu memorari possunt animalium coloniae ex nativo solo aliorum translatae vnicce ad testaceorum ordinem pertinent, aliis eorum, vt quidem *teredo naualis* infausto casu, aliis contra, vt *mya marginifera* et *ostrea edulis* studio et consilio transpositis. Verum cum de his post ea quae ab aliis iam dicta sunt addenda non ha-

^{*)} TH. BARTHOLINI *acta Hafniensia*. vol. I. pag. 107.

^{**) Ex relatione cl. SEETZEN auditoris quondam mei dilectissimi, qui in itinere arabico praematura morte obiit.}

^{***) SAL. SCHINZ *Reise auf dem Uetliberg* pag. 16.}

^{*) Jos. BANKS in *Transactions of the horticultural Society*. vol. II.}

^{**) J. A. MURRAY, collega quondam noster desideratissimus, in *nouis Gottingenibus litterariis* 1777. pag. 1219.}

^{***) Cl. F. S. VOIGT affinis mei carissimi, *Uebersicht der Naturgeschichte* pag. 321. qui eam tineam saltem Francofurtum ad Moenum bello demum septenni stragulis laneis nosocomii militaris inuestam esse memorat.}

beam, vnicē *helicis pomatiae* exempla itidem tum casu tum studio aliorum propagatae coronidis loco subiungere liceat. Alterum eorum in amoenissima Vrserensi valle occurrit, quae tanquam parua Oasis sterilibus Sti Gotthardi altioris clivibus quasi interiecta est, et quae sapidis istis helicibus scatet, quarum vero nec citra nec ultra in horrida et vegetationis fere experite montis regione vlla videntur vestigia. Illas vero isti valli seculo praeterlapsi fortuito casu illatas esse, cum dolium iis repletum et ultra montem transuehendum, diffractum ibi relictum et neglectum fuerit, mihi dum in itinere Heluetico versabar non uno teste fide digno assertum est. Studio vero et cura celebris suo aevo philosophicae historiae naturalis cultoris KENELMI DIGBYI in Angliam transuectam esse eam helicem relatum accepimus *).

E p i l o g u s.

Quod ita hac commentatione exhibere studui specimen genuinae Historiae naturalis ex KANTII mente, in fronte disquisitionis explicata, vt in vniuerso zoologiae studio philosophico attentionem meretur, ita præsertim in historia naturali humani generis eiusque ex primitiva stirpe in remotas terras et insulas, siue casu siue studio transmigratione, hincque in diuersas varietates degeneratione, quam fructuosa et lucifera euadat, inde a 50 fere annis non una super *generis humani varietate nativa* scriptione comprobare annis sum, quare ea hic loci repetere, vel ipsa instituti ratio vetat.

*) PENNANT'S *Journey from Chester to London* pag. 336.

© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2011



OPCARD 201

